

Daniel Gerdes Johannes Florentius Müller


**Disputatio Theologica I. Exhibens Observationes Miscellaneas Ad loca quaedam
S. S. Historiam Patriarcharum Potissimum illustrantes**

Duisburgi ad Rhenum: Sas, 1729

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn843870222>

Druck Freier  Zugang





85

48. a. 5.

Fa 1092 (85.)

1.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

8.

9.


11.

12.

13.

14.

15.



DISPUTATIO THEOLOGICA I.
EXHIBENS
OBSERVATIONES
MISCELLANEAS

Ad loca quædam S. S.
HISTORIAM
PATRIARCHARUM
Potissimum illustrantes

Quam
ANNUENTE DIVINA GRATIA
SUB PRÆSIDIO
DANIELIS GERDESII
Th. D. Ej. & Hist. S. Prof. Ord.

PUBLICICE DEFENDET
JOHANNES FLORENTIUS MULLER

Ratingâ - Montanus

Ad d. 10 Februarii 1700.

H. L. Q. S.



DUISBURGI AD RHENUM,
Typis JOHANNIS SAS, Academiæ Typographi,
Anno MDCCXXIX.

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
11.
12.
13.
14.
15.

*Library of
Rostock
University*

Viris plurimum Reverendis atque Doctissimis

DN. THEOD. WILHELMO
apud Ratingenses in Ducatu
Montensi.

DN. FRIDER. EBERHARDO
apud Gatropenses in Ducatu
Clivenfi

DN. GODOFREDO apud Wi-
ckedenses &

DN. JOHAN. REINHARDO
vocato nuper apud Hagenses
in Comitatu Marcano.

NEUHUSIIS
V. D. Interpreti-
bus fidelissimis,
studiorum suorum
Ductoribus &
fautoribus colen-
dis.

Ut &

Viris Amplissimis atque Spectatissimis

DN. JOHAN. LEONHARDO
à MEYNERTZHAGEN
Et

DN. WERNERO GERDES

Mercatoribus, illi
apud Colonenses,
huic apud Bremen-
ses, Magnariis,
& Celeberrimis.

Patronis suis, Mœcenatibus ac Fautoribus
per omne ævum honorandis atque
suspiciendis

Cum in beneficiorum hactenus rece-
ptorum gratam memoriam,
tum ut se in posterum ipsorum com-
mendaret benevolentia ac favori,

hanc Disputationem

D. D. D.

JOH. FLOR. MULLER.



DISPUTATIO HISTORICO-
THEOLOGICA
AD LOCA QUÆDAM
SCRIPTURÆ S.



Uandoquidem in eo versamur, ut privata indu-
stria HISTORIAM ECCLESIASTICAM V. T. au-
ditoribus nostris hoc anno exponamus, non in-
concinnum fore confidimus, si & publice quas-
dam, ad Loca Scripturæ S. HISTORIAM PA-
TRIARCHARUM potissimum illustrantia, OB-
SERVATIONES, sive Philologicas, sive Theo-
logicas, communicaremus, quod equidem & consentaneum vi-
deri poterit officio nostro, & studio Biblico ad quod præcipue,
tanquam utilissimum, & futuris Theologis maxime necessarium,
manuducere nostros studemus, qualemcunque accendere facem.

OBSERVATIO I.

Ad Hebr. XI. 3.

ARGUMENTUM.

*Docetur, quenam ordinaria sit ejus loci expositio. Creationis my-
sterium Ratio non exhaurit, nisi accedat Fides. §. I. Osen-
ditur loci sensum pendere à notione vocabuli אֱלֹהִים. Valenti-
nianorum Æones huc non quadrant. Quid Scriptura per אֱלֹהִים*

A

00005

2.

3.

4.

5.

6.

7.

8.

9.

11.

12.

13.

14.

15.

ωνας intelligere soleat, exponitur, & confertur emphasis vocabuli **עולם** apud Hebræos. **עולם הוה** & **עולם הנא**. Amplissimum sensum retineri debere insinuatur. §. II. Verbi **καταργησθαι** emphasis eruitur; Quid per **ἤματι Θεοῦ** hoc loco intelligi debeat? Filius Dei quomodo concinnaverit *id omne*, quod per **Αἰωνας** indigitatur. Locus Eph. 1: 10. huc refertur. §. III. Fide demum hanc **Αἰωνων** adaptationem cognosci, ostenditur. Locis Deuter. viii: 5. Jerem. 11: 2. Gal. iv: 1--3. Hebr. v: 12-14. in transcurso, lux affunditur §. IV. Præpositio *eis* hic non modum sed finem indigitat concinnationis seculorum. Verus loci præsentis sensus exponitur. §. V. Expositio breviter justificatur. §. VI.

§. I.

Quando Apostolus demonstrans quod FIDES sit non solummodo **ἰληζομένων ἑσποσις**, sed & **πεπραγμάτων ἰλεγχος** & **βλεπόμενων**, id est, ejusmodi mentis illuminatæ habitus, qui efficit, ut ea capiamus, comprehendamus & indubitato credamus, quæ neque sensibus, neque rationi sibi relictæ, patent aut pervia sunt, ait, ad Hebr. xi: 3. quod *Fide cognoscamus* **κατηρησθῆναι τῶν αἰωνῶν ἡμεῶν Θεοῦ**, *eis το μη ἐκ φαινομένων τα βλεπόμενα γέγονε*, coagmentata esse secula verbo Dei, adeo ut non ex apparentibus ea quæ videntur, sint effecta; Tum, non tantummodo, **Νοῦσον πνευμαλικὴν** cognitionem spirituales requiri, insinuat, ad id, ut rite percipiatur, magnum illud creationis mundi ex nihilo, solo voluntatis divinæ & liberrimæ & potentissimæ jussu, mysterium, quoniam nec ordinem creati mundi, nec tempus, nec finem ultimum, nec intermedium, satis perspicue *cognitio naturalis* docere potest, multo minus docere, quomodo res corporeæ & visibiles sint umbræ & emblemata rerum spiritualium & celestium; quanquam ea hujus loci interpretatio sit communissima, ipsaque hæc res & verissima sit, & omni careat dubio; *sed vel maxime* eundem sublimiora adhuc docere velle, sumus persuasissimi, cujus persuasionis ansam nobis & vocabulorum emphasis, & constructionis ratio, & textus **συναφεια** cum superioribus præbuerunt.

§. II.

§. II. Nimirum, cum Apostolus nullam mundi, aut ejus partium, earumve creationis, injiciat mentionem, sed των Αιωνων Seculorum, quorum καταλισμον concinnationem verbo Dei peractam, fide intelligi, affirmat, hoc sine, ut exemplum sistat, quo modo fides evadat πραγμάτων έλεγχος ή βλεπομενων, sicque τα μη φαινόμενα veluti evadant φαινομενα, & τα μη βλεπομενα veluti evadant βλεπομενα, facile apparet, quod verus hujus Loci vere δυναστης sensus, dependeat à notione vocabuli Αιωνων.

Gnostici equidem atque Valentiniani, primorum seculorum hæretici, Αεονum fictores, atque Syzygiarum conditores vesani, mirum huic vocabulo affricare sensum, veriti non sunt, quem & Cel. BUDDEUS explicavit luculentius in dissert. de Hæresi Valentiniana doctissima §. v. & sqq. & Cl. VITRINGA ή Μανικαιτης, in Obsf. S. L. v. c. XII. p. m. 152. & Lib. I. c. II. p. 138. sq. itemque Doctiff. ZORNIUS in opusculis sacris p. 609. sq. & Cl. FABRICIUS ad Philastrium passim, porro GRABIUS quoque & MASSUETUS ad Irenæum, alique, ut confictum hunc Αιωνων sensum, nec explicare, nec refutare, præsentis sit operæ.

Censemus enim ex ipsa Scriptura liquere, quod per Αιωνας, & prima mundi facies, & mundi post lapsum renovati constitutio, & gloriæ quoque venturæ status, indigentur, quæ omnia & vocabulo עולמים & Αιωνων venire posse, ex Philologis addiscitur, nec quisquam dubitat, verum etiam porro ipsas diversorum Gratia temporum œconomias, tum quæ sub Promissione fuit, tum quæ sub Lege ac Testamento Veteri, tum quæ sub Evangelio illuxit, atque sub Testamento Novo, nomine Αιωνων percommodo, insigniri, nemo diffitebitur, qui vel penitius paulisper illam inter עולם הזה & עולם הבא distinctionem perscrutatus est, quæ tantas verborum lites sevit, inter RHENFERDIUM & WITSIUM summos viros, atque doctissimos.

Adeo, ut cum hic sine ulla restrictione Paulus Αιωνων injiciat mentionem, nec quicquam reperiatur, quod coarctandum esse vocabuli sensum evincat, quin potius multa, quæ hanc sensus prægnantiam suadeant, inde merito eliciamus, horum nullum cum ratione omitti posse.

2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
11.
12.
13.
14.
15.

§. III. Quando igitur Paulus pronunciat, hæc omnia esse *κατηγορευμενα ενματι Θεου*, adaptata five coagmentata esse verbo Dei, sua sponte docemur, vi verbi *καταρτησεν*, (quod concinam & apte dispositam partium ac membrorum coagmentationem, reique alicujus restitutionem in suum five locum, five statum, five ex toto, five ex parte, five primitus, five iterata vice ac denuo, significat,) quod insinuet, hæc omnia *Secula*, per *verbum Dei*, tam concinne disposita esse atque inter se *connexa*, ut non solummodo admirabilis quædam inter ea conspiciatur partium omnium harmonia, sed & consummatio quædam eorundem stupenda atque venerabilis, per *verbum Dei* effecta atque procurata; Sive jam per *το Πημα Θεου* ipsum Dei intelligamus *verbum*, vel ejus ore pronuntiatum, vel ejus spiritu scripto consignatum, cum sane eloquio oris divini, prima mundi fuerit *formata facies*, & ipsa quoque ore Dei prolata promissio, post lapsum, mundi *renovati* constitutionem *instauraverit*, & *consummatio gloriæ* quoque venturæ concinno ordine in *verbo Dei* exhibeatur atque repræsentetur, imo cum & sub *promissione* & sub *lege* & sub *Evangelio*, promissionis divinæ *verbum*, quod est *verbum gratiæ*, omnia & *concinnaverit* & *instauraverit* & *consummaverit*; Sive etiam potius, cum CYRILLO aliisque ex priscis, atque ex recentioribus cum PETAVIO, PLACÆO, BALDUINO, HUNNIO, GERHARDO BRAUNIO, d' OUTREINIO, LAMPPIO per *το Πημα Θεου* intelligamus ipsum Dei Filium, *λογον* illum *Υπεστυτικον* atque Personalem, eum sane æternæ hoc sit veritatis dogma, Filium Dei, & *primum* concinnasse mundum, & *instauratiõnem* ejusdem post lapsum procurasse, & seculorum quoque *consummationem*, futuræque gloriæ statum per ipsum reconcinnatum esse atque perfectum; Vel uti idem quoque hic Dei Filius sub *Promissione* ludens cum summa sapientia, inter filios hominum statum fidelium resarcivit & adaptavit, & sub *Lege* atque œconomia veteri eundem apte disposuit, concinneque ordinavit, & sub *Evangelio* denique atque œconomia nova, eundem perfecit atque consummavit; Imo, cum Filius Dei quoque, horum omnium seculorum, atque œconomiarum, inter se, accuratam atque mirabilem constituerit

harmo-

harmoniam, atque omnia inter sese combinata ita consummaverit, ut PAULUS ad Ephes. 1: 10. recte affirmet, (quem locum nostro quoque aliquatenus parallelum censemus,) ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν τῷ Χριστῷ τὰτε ἐν τοῖς ἑσθνοῖς, καὶ τὰ ἐν τῷ οὐρανῷ καὶ τῷ γῆ, omnia in Christo & per ipsum fuisse recapitulata tam illa quæ in cælis sunt, quam quæ in terra.

§. IV. Neque etiam quisquam dubitaverit quin hæc horum seculorum diversarumque œconomiarum & concinnatio & instauratio & consummatio per Filium Dei peracta, fidei verum esse objectum, dici debeat, atque fide hæc omnia recte demum intelligi, cum sane nemo per rationem eo pervenire queat, ut cognoscat non solummodo quod Filius Dei mundo primam induxerit faciem, ut esset habitaculum gloriæ divinæ, sed & quod Filius Dei, eundem hunc mundum, sede sua velut motum, in nativum reduxerit locum, sicque Patri eundem reconciliaverit atque instauraverit, imo quod idem ille Filius Dei, quoque in æternam & cœlestem gloriam, consummando Ecclesiam suam, sit introducturus, porro quod eum in finem variæ per ipsum fuerint constitutæ, apte dispositæ, & egregie coagmentatæ temporum œconomia, ita, ut ipse tanquam verus Pater cœlestis erudiverit in hac temporum diversitate populum suum, tanquam Vir filium suum Deut. viii. 5. ut æque sub tempore promissionis atque in infantili Ecclesiæ suæ ætate, tamèn eundem per benignitatem suam foverit, certa que ratione perfecerit, quò locus Jerem. ii. 2. ubi per חסד נעוריי non solùm officium indigitatur, quo Israël functus est erga Deum, eundo post ipsum in deserto, sed & illa, quam Deus, in ipsa velut infantia, Ecclesiæ suæ exhibuisse dicitur, Gratia atque benignitas, cujus se postliminio recordari, insinuat his verbis, referendus erit, atque etiam deinceps sub Lege ætatem Ecclesiæ adolescentem, de qua Paulus Gal. iv. 1-3. ita disposuerit, ut multos quoque jam filios in gloriam introduxerit, sicque denique ἐν τῷ πληρωμαὶ τῆς καιρῆς statum Ecclesiæ suæ ad virilem Hebr. v. 12--14. & consummatum perduxerit statum, atque ipse per passiones consummatus omnia consummaverit. Quandoquidem hæc omnia Naturæ, Gratiæ, Gloriæ. Myste-

2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
11.
12.
13.
14.
15.

ria rationi prorsus sunt impervia, nec nisi oculis fidei, quæ ita demum πραγμάτων έλεγχος fit & έλεπομενων, aut cognosci poterunt rite, aut debite intelligi.

§. V. Quæ & ratio est, quod Apostolus nunc *Finem* porro indiget, cur *fide* opus sit, ad hæc intelligenda *mysteria* summa & maxima, dicens: *Εἰς τὸ μὴ ἐν φαινομένων τε βλεπομένων γεγονέναι.* Nolumus nunc varias horum verborum explicationes recensere, quæ tamen in id hæctenus veluti conspirarunt, indigitari his verbis, *modum*, quo condita fuerint secula, nimirum ita, ut ex nihilo, atque ex non entibus, producta fuerint quæ videntur omnia, cum tamen & præpositio *Eis non Modum sed Finem*, in hac cum primis constructione, indigitare queat, & superior *Αἰώνων* explicatio nequaquam hunc admittere sensum possit, cum illa omnia, quæ per Filium Dei sunt concinnata, instaurata, consummata, tam in Natura, quam in Gratia, & in Gloria, tam sub promissione, quam sub Lege, & Evangelio, nequaquam dici possint fuisse non entia, aut annumerari non entibus, *præterquam* quod ipsa illa Fidei ab Apostolo ψ. 1. data descriptio, quod illa sit πραγμάτων έλεγχος & έλεπομενων, quam hoc versu veluti justificat, ad alia omnia nos abducat: Dicit enim Apostolus, *Fide*, tali scilicet, qualem descriperat, *opus esse ut cognoscamus secula per Filium Dei esse concinnata*, quæ sane ipsa *seculorum concinnatio*, inter *τὰ μὴ φαινομένα*, i. e. inter illa, quæ *nec sensibus*, nec rationi sibi relictæ, erant, aut sunt, *pervia*, referri debet, quæ tamen, ut fiant *βλεπομένα*, per certum *έλεγχον*, *argumentum*, five probationem, & *demonstrationem*, ut fides accedat, necesse est, quandoquidem *Fides* demum fit *έλεγχος πραγμάτων & βλεπομένων*; Adeo ut hæc verba *Eis τὸ &c. non modum* explicent, quo Filius Dei mundum condiderit, producendo ex nihilo omnia, atque ex non visibilibus visibilia, *ut nec* quicquam valeat objectio quorundam ex hoc loco pro materia quadam præexistente concludentium, quæ ad *τὰ μὴ φαινομένα* pertinuerit, & ex qua visibilis noster creatus fuerit mundus, *nec* opus sit *τὸ Μὴ* referre cum BEZA & SCHMIDIO, ad *γεγονέναι* sicque metalepsin statuere, quasi affirmetur, *quod non facta sint ex visibilibus omnia*, sed ex nihilo;

nihilo; *Sed*, ut simplicissimus hic locum obtineat sensus, si dicamus, in quo aliquatenus nobis prævit quoque doctissimus BROCHMANNUS in Comm. ad h. l. p. 498. Paulum indigitare, *eo fine, ut ex non apparentibus*, iisque quæ nec rationi nec sensibus sunt exposita, *evadant visibilia*, quæ se intellectui illuminato sistunt, tanquam talia, quæ & credi & sciri possunt, *opus esse Fide*, quandoquidem hoc ipsum pateat, ex mirabili illa seculorum omnium per Filium Dei concinnatione, quæ sane, cum nunquam rationi vel sensibus fuisset cognoscibilis, atque ita inter τα μη φαινόμενα mansisset, tamen Fide à nobis cognoscitur, ut se nunc inter τα βλεπόμενα, fidei oculis eadem sistat, sicque rite à nobis cognoscatur.

§. VI. Quæ explicatio, quam nullis exposita sit difficultatibus, quam cum vocabulorum emphasi conveniat, quam ex ipsa fluat constructione, quam conveniat cum antecedentibus, quam dextre quoque cum sequentibus cohæreat, quam scopo denique Apostoli sit consentanea, nunc equidem demonstrare luculenter nolumus, cum & facillima ceteroquin ea esset Αποδείξις, & nemini non obvia.

OBSERVATIO II.

Ad GENES. III. 20.

A R G U M E N T U M.

Adami Fides an colligi possit ex nomine Evæ? anquiritur. §. I. *Atque in affirmativam sententiam esse inclinandum, ostenditur.* §. II. *Spiritualis sensus huic nomenclationi vindicatur.* §. III. *Per Vitam non naturalis tantum sed spiritualis indigitatur, cum ceteroquin ea potius Mater morientium dici debuisset. Error Ruperti Tuitiensis notatur.* §. IV. *Eva non Adami erat mater. Nec etiam mater כל חי in natura, sed solum in gratia.* *Locus I Cor. XI: 11, 12. illustratur.* §. V. *חַוְּוָה charvav ponitur pro חַוְּוָה. Activum ζω, sensu etiam transitivo ponitur pro ζωοποιω. Loca Joh. IV. 10. & VI: 51. illustrantur.* §. VI. *Clauditur observatio* §. VII.

§. I.

2.
 3.
 4.
 5.
 6.
 7.
 8.
 9.
 11.
 12.
 13.
 14.
 15.

§. I.

QUæritur, an recte cum Theologis nostris compluribus, atque præstantissimis, Adami in promulgatum Proteuangelium fidem demonstramus, ex hoc solenni atque *μυσταγωγῆς* Uxori suæ imposito Nomine, quo vocavit Adam nomen Uxoris suæ חוה Chawah s. Eva, hanc subjungens rationem, quam insinuat textus: כִּי הִיא הִיְתָה אִם כָּל הָיָי *Quia illa facta est Mater omnis viventis?*

§. II. Respondemus, quod omnino nullam fonticam dubitandi habeamus causam, quo minus ea demonstratio & solida sit & maxime sufficiens; Si enim ex firmissimis argumentis evinci queat & specialem sive spiritualem rationem habuisse Adamum hujus sui facti, & eundem ad vitam animalem sive corporalem solum respicere non potuisse, facile simul quoque patebit, & credidisse Adamum Vitam dari postliminio spiritualem, & amplectum fuisse vera fide eam vitam, eamque fidem hac ratione fuisse professum, & denique hoc ejus factum dictumque mysterio non caruisse multiplici, sicque hoc ipsum rite tanquam fidei testimonium à nobis adduci.

§. III. Quod vero & specialem & spiritualem Adamus hujus suæ actionis, qua Uxori novum hoc imposuit Nomen, habuerit rationem, vel ex ipsa narratione Mosaica, ejusque ordine colligere pronum est, quandoquidem hæc Adami actio, immediate subjungitur, solenni illi Evangelii in Paradiso de benedicto mulieris semine promulgati, promissioni, atque ita subjungitur, per ׀ consecutivum in וַיִּקְרָא, ut facile appareat, ipsum hoc quoque factum Adami, immediate secutum fuisse, illam à Deo factam promissionem, sicque in signum vel fidei propriæ, vel gratitudinis erga Deum, vel, ut animum quoque adderet uxori suæ, quem illa videri poterat despondisse, atque hac ratione opus habere, ut à viro suo erigeretur: *Verum etiam porro, quid opus fuisset quæso, ut Adamus uxorem suam, nisi specialis quædam & spiritualis quidem ipsi stetit ratio, de novo, nomine quodam insigniret? cum ea jam ante lapsum ab ipso אִשָּׁה Vira fuerat appellata, Gen. 11: 23. quæ certe nominis ratio, nec post lapsum*

lapsum ulla ratione cessabat, nec magis congruum nomen si solæ naturales considerentur causæ, inveniri poterat, neque hoc ipsum *Evæ* nomen, si naturales tantum ponderentur rationes, vitæque animalis solum indigetur, aut convenientius naturæ *Evæ* aut significantius haberi poterat, quam pristinum illud *Vivæ*. Sed & quis dubitet quod specialis Adamo hujus sui facti constiterit ratio, cum ipse nos textus de ea dubitare non sinat? referens Adamum, adjecisse hæc verba: *Quia illa facta est אִם כֹּל הָיָא* Mater omnis viventis. Quorum verborum sententiam statim enucleabimus.

§. IV. Neque enim Adamum, vel solenni hac nomenclatione, vel addita hac ratione, vitam solum animaleam atque corporalem respicere potuisse, colligere pronum est, vel ex eo quod tum potius eandem appellare debuisset *Morientem* atque dicere, eam nunc post lapsum, atque mortis judicium intentatum, itemque post prædictionem de reductione in pulverem, fuisse factam *Matrem omnium morientium*: Et certe, veluti per Adami peccatum mors ad omnes homines transit, in quo omnes peccaverunt. Rom. v. 20. Ita quoque Eva, quæ ἀπατηθεῖσα, ἐν προέλευσει γενομένη, seducta, transgressionis facta est rea 1 Tim. ii: 14. majori jure facta videri poterat *Mater omnium morientium* quam quidem viventium, nisi Lux Gratiae Adamo ex prima promissione affulisset, & nisi ipse radios ejus lucis animo ipsius aspersos, atque fidem in ipso excitantes, salutariter sensisset: Effecit saltem hæc consideratio, quod RUPERTUS Abbas TUITIENSIS Seculo XII. immite plane in Adamum pronunciaret Judicium; scilicet, eum superbe admodum atque pervicaciter, mortis sententiam à Deo promulgatam sprevisse, atque hujus suæ pervicaciæ irrefragabile dedisse testimonium, uxorem suam, quæ per sententiam Dei adjudicabatur morti, appellando Evam, viventem & matrem viventium; Veluti bonum quoque hunc abbatem vel de salute Adami cum priscis Tatianis & Encratitis dubitasse constat, de quo tamen nunc non agimus, cum id minimum sit evidens, non solam animaleam sed spiritualeam quoque, in Dei Gratia, quæ vera animæ vita est, ab Adamo fuisse intentam vitam,

B
cujus

2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
11.
12.
13.
14.
15.

cujus respectu EVA vere dici posset *Vivens*, & *viventium* quoque spiritualis *Mater*.

§. V. Nolumus jam dicere, tamen si id verum quoque sit, quod, si Adamus *solam animale* respexisset *vitam*, tum non tam EVA, quam quidem ipse potius omnis vitæ posterorum author haberi debeat, cum ex illo uno sanguine totum genus humanum sit, atque eum tanquam parentem vitæ suæ, qualis eadem cunq; sit, agnoscere teneantur omnes; Accedit enim, quod ne vere quidem EVA dici potuerit *omnis*, sine ullo discrimine, ullave restrictione, *viventis mater*, brutis certe nomen חיה sive חיות in Scriptura quoque tribuitur, nec illa ubi de כל חי sermo est, excludi poterunt, quorum tamen nisi absurdissime, EVA dici non poterat, mater; Adamum etiam ipsum sese heic nequaquam excludere, liquet, cum EVA tamen Adami Mater dici non posset, quæ potius ipsius Filia, ex ejus costa mirabiliter efformata, appellanda esset; Neque incassum hoc à nobis adduci argumentum, manifestissimò evincet locus Paulinus 1 Cor. XI. 11, 12. qui sine hac observatione obscurior est, sed per eandem lucem foeneratur non exiguum; Dicitur enim ibi inter cetera *ὡςπερ γαρ ἡ γυνὴ ἐκ τοῦ ἀνδρός*, uti enim mulier ex viro scil. naturaliter est, vitamque suam animale ipsi debet, quippe ex viro efformata à Deo, *οὕτω καὶ ὁ ἀνὴρ κεφαλὴ τῆς ἐκκλησίας*. Ita est vir sed spiritualiter, & *ἐν κνείῳ*, uti Paulus expresse dixerat *ψ. 111. per mulierem*, atque adeo etiam per mulieris semen, scil. vitam adeptus est. Ne alia jam cumulemus ab aliis observata.

§. VI. Adeò ut censeamus omnino, Vitam hanc spiritua- lem Gratia, per semen mulieris promissum, impertiendæ omnibus, vera fide se eò recipientibus, atque cum eo per fidem unitis, Adamum primario in hac sua nomenclatione, additaque insuper ratione respexisse; atque ita indigitasse, nunc demum, uxorem suam, divinitus factam esse חיה *Chavvah*, id est, quæ Celeb. GUSSETHI peregregia est observatio in Comm. L. H. p. 923. non solum *viventem*, sed vel maxime juxta emphasin vocis transitivam, *חיה* *vivificatricem ζωοποιουσαν*. Sic sane ex participio, (detracta formativa *ח*) hæc vox nominis formam recipit,

recipit, uti קָרַר festinus ex קָמַרָר originem trahit. Quæ & ratio est, procul dubio, quod Interpretes ALEXANDRINI nomen hoc per ζωην reddiderint, quando hanc vocem, eodem sensu transitivo, accipere potuerunt, cum nec inconsuetum ipsis sit, verbum ζω active ponere sensu transitivo, pro ζωοποιω ut Ps. xli. 2. & cxi. 17. quem morem nec Scriptoribus sacris, Johanni cumprimis, alienum esse ex Joh. iv. 10. & vi. 51. ipse quoque observavit GUSSETUS, cum BEZA locum posteriorem per panem vivificum egregie jam transtulisset. Imo indigitasse censemus Adamum, uxorem suam nunc esse matrem factam illius seminis, quod caput serpentis esset contriturum, in quo non solummodo omnis vita plenissima emphasi reperiretur, sed & qui ipse vitæ fons & scaturigo esset futurus, ex quo vitam haurirent atque salutem omnes qui cum ipso uniti, ad verum mulieris semen, semini serpentis oppositum pertinerent.

§. VII. Quæ omnia quam egregie Adami fidem in testimonium Jehovahæ per primam promissionem promulgatum, ejusque cognitionem viæ vitæ, & spem demonstrent, à quovis rerum Theologicarum non ignaro sua sponte comprehenditur, ut nec iis demonstrandis immorari sit necesse.

OBSERVATIO III.

Ad HEBRÆ. XI. 4.

ARGUMENTUM.

Divina sacrificiorum origo ex hoc loco recte adstruitur. §. I. Ευρω-
εσμος sacrificii Abelis docetur. Verba ultima ejus versus 4.
proponuntur discutienda. §. II. Clamor hic non pertinet ad
sanguinem Abelis. Neque etiam proprie ad ejus fidem. Δία
hic propter notat, non per. §. III. Δαλειται non tam per lo-
quitur, quam per celebratur, reddi debet. §. IV. Verbum
δαλειται pro celebrari, annunciari cum præconio, usu venit.
§. V. Ostenditur, quomodo distincta sit hæc celebratio A-
belis, à testimonio illo quod acceperat. §. VI. Spiritualis
hujus

2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
11.
12.
13.
14.
15.

hujus notionis sensus indicatur. Quomodo quidam per sanguinem Abelis juraverint ostenditur. Abel mortuus typus Christi & justorum. §. VII. Quo sensu Abel dici tamen possit loqui adhuc, exponitur. Locis Math. xxii: 35. Apoc. xvii: 6. & Hebr. xii: 24. lux aspergitur. §. VIII. Lectio codicis Alexandrini pro λαλεισθαι habentis λαλει respicitur. Et tamen, quo modo ea nobis faveat, indicatur. §. IX.

§. I.

Nolumus jam sacrificiorum divinam pandere ad hunc locum originem, tametsi ea omnino ex hoc effato quoque demonstrari queat, non tam, quatenus ipsa fides, qua Abel dicitur obtulisse, jam præsupponebat mandatum Dei, quam quidem potius, quatenus eadem præsupponebat verbum aliquod de sacrificiorum significatione spirituali, atque testimonium quoddam divinum, quo mactatæ pecudes veniebant tanquam typi Messiae, Agni mactati ἐν τυπῶ, ὡς κατὰ βολῆς κοσμοῦ, quod Abel, non vero Cain, fide recipiebat, cui confidebat, in quod recumbebat, quæ ipsi fides ἑπιστάσις erat τῶν ἐλπίζομενων, cum in mactata pecude videret Semen mulieris, parentibus promissum, ut immerito hoc argumentum à Cel. BUDDEO in Hist. Eccl. V. T. p. 144. videamus rejici.

§. II. Nolumus quoque indagare nunc, quale illud fuerit testimonium, quod Deus hic dicitur dedisse ἔδωκεν τῆς δαψοῦς αὐτοῦ, quamvis non dubitemus, illud ἐμπυρσισμῶ & incineratione ipsius sacrificii constituisse, cum ABENEZRA, dicente: יהכן שירדה אש ורשנה מנחה הכל ולא מנחה קין; ignem descendisse & Habelis quidem oblationem in cineres redeigisse, at Caini oblationem non item. Inprimis si conferamus Lev. ix. 24. x. 2. xvi. 7, 8. Jud. vi. 18. 1 Chron. xxi. 21. 2 Chron. vii. 1. Gen. xv. 17. 1 Reg. xviii. 38. quod pererudita ante hoc decennium & quod superest disputatione de Ἐμπυρσισμῶ Sacrificii Abelis Bremæ habita evicit in studiis tunc juvenilibus commilito suavissimus, nunc in Ecclesia Nemetum Spirensi Ecclesiastes Plur. Reverendus DANIEL GONDELA, quem amoris gratia nominamus.

Scd

Sed in ultimis potissimum verbis, *Και δι' αὐτῆς Σποθῆανον ἐπὶ λαλεῖται.* *Et propter illam, mortuus licet, etiam nunc λαλεῖται,* habebimus, quorum non adeo obuius est sensus.

§. III. Quandoquidem non desint, qui solummodo respici arbitrentur ad locum Genes. iv. 10. cum GOMARO, ubi dicitur, quod *sanguis Abelis clamauerit ad Deum* de terra, quatenus scilicet vindictam sanguinis ille efflagitaret aduersus Cainum, veluti DIODATUS quoque in ea fuisse videtur sententia, addens tamen, eundem hunc sanguinem, ut nimirum fidei appareret in hoc clamore specimen, quoque retributionem vitæ æternæ efflagitasse. Cum tamen, ut verum fateamur, Paulus non tam de sanguine Abelis hic agere videatur, quam quidem de ipso Abele, sed mortuo tamen, atque etiam de loquela, quæ nondum cessaret tum quoque, cum Apostolus hoc scriberet, siquidem dicatur, *Σποθῆανον ἐπὶ λαλεῖται.* Alii cum Cel. MELCHIORIS in Lect. Anniverf. ad h. l. Opp. T. 11. p. 633. censuerunt, Fidei quoque Abelis hic habendam esse rationem, atque hanc Abelis loquelam per fidem fieri, quatenus ille martyrium fidei est passus, sanguine suo veritatem obfignans, quam fide receperat, quæ fides constanter deinceps in Ecclesia fuerit prædicata &c. adeo, ut verba δι' αὐτῆς idem significant, quod vocabulum ΠΙΣΤΕΙ, uti ab initio versus dixerat, verum, præterquam quod nulla appareat ratio cur particula δι, quæ modo, in eodem hoc versu, sensu prorsus alio, ab Apostolo fuerat usurpata, loco *propter*, quæ & ordinaria ejus est significatio, nunc hoc sensu sit accipienda, multa apparet ratio, cur id fieri queat minime, siquidem copula καὶ expresse insinuet illa duo, *Μαρτυρίαν* scilicet Θεοῦ, quam Deus Abeli, & ejus donis propter fidem concesserat, & *λαλίαν* hanc, ita sibi invicem sequi, ut tamen utraque gratiosæ instar mercedis, quæ fidem Abeli fuerit infecuta, sint habenda.

§. IV. Verum ut dilucidius quoque sententiam nostram explicemus, habet quidem utraque sententia, tum eorum, qui vocabulum illud *λαλεῖται* passive accipiunt, tum eorum, qui verbum illud medium esse censent, ad instar Latinorum *loquitur*, cum significatione activa, suas rationes non proletarias, est quo-

B 3

que

2.

3.

4.

5.

6.

7.

8.

9.

11.

12.

13.

14.

15.

que utraque conveniens, cum analogiæ fidei, tum veritati historiciæ, imo scopo etiam & ratiocinationi Paulinæ, prætulim tamen, nescio fere cur, nisi quod simplicior videatur ea sententia, verbique λαλειται usus medius cum significatione activa sit insolentior, *passivam significationem, consuetam eam & simplicem* quidem, sed tamen *luculentam quoque & spirituales*.

§. V. Est ea *consuetæ*, inquam, significatione verbi scilicet passivi, passiva, imo etiam verbi λαλειθαι, ut significet CELEBRARI, *commemorari cum laude; annunciari cum præconio*, quamvis de eo dubitare videatur Cel. MELCHIORIS l. c. p. 632. & Doctiff. SCHMIDIUS in Colleg. Bibl. p. 143. Quid enim annon Marc. xiv. 9. expresse, *ὅπως ἂν κηρυχθῆ*, dicitur, *τὸ εὐαγγέλιον τῆς π, εἰς ὅλον τὸν κόσμον, καὶ ὃ ἐποίησεν αὐτῆ, ΛΑΛΗΘΗΣΕΤΑΙ εἰς μνημοσύνην αὐτῆς*: *Ubicunque hoc predicabitur evangelium per universum orbem ibi quoque quod illa fecit, DICETUR i. e. celebrabitur, commemorabitur cum laude, in ejus memoriam*: coll. Math. XXVI. 13.

§. VI. Sed & *simplex* eadem est expositio, neque sensu prope modum eadem, cum enuntiato priore, *per fidem testimonium accepit*, prouti Viri quidam doctissimi censuerunt, sed ita diversa, ut tamen etiam cum eadem coincidat, dixerat prius, Apostolus, *propter fidem* hanc suam, condecoratum fuisse Abelem, testimonio divino, quo eundem *Justum*, ejusque *dona*, Deo *accepta* esse, declaraverat Deus, jam vero etiam addit, quod eadem quoque *fides* tam insigni testimonio divino celebrata, sit ratio, cur nec ejus *memoria*, tametsi diu jam oppetivisset mortem, sit oblitterata, *sed celebretur adhuc*, sitque *in benedictione*, tanquam *memoria Justæ*, apud homines quoque, & in cœtu præcipue fidelium. Proverb. x. 7. Job. xviii. 17. Pl. ix. 7. Quin etiam in verbo Dei, quod Ecclesiæ est traditum: Cum sane *prius* illud *testimonium* à Deo Abeli & ejus donis concessum, *ipsi Abeli dum in vivis* esset, usuvenerit, atque egregie eundem in fide corroboraverit, hoc vero *posterius*, *ipsi etiam mortuo* dudum, sit collatum, tanquam *singulare post mortem* quoque beneficium; quod tamen à priori omnino esse diversum, censei debet.

§. VII.

§. VII. Neque tamen minus, *luculentum* aut *spiritualem*, ita exposita verba, fundunt sensum: Quid enim? Annon *luculentus* is est sensus, & *spiritualis*? quo indicatur, *fidei* ejus *præstantiam*, continuo à fidelibus laudari, ac celebrari, quippe quæ tam perinsigni fuerit illustrata testimonio, cœlitus dato, porrò ipsum *Abelem*, tanquam *Iustum*, ab ipso Deo declaratum in exemplum poni & commemorari in Ecclesia; sicuti hujus *Justitiæ* deinceps *Noachus* quoque factus est κληρονομος. Ψ. 7. Imo ejus *mortem* quoque, eundemque *adeo mortuum* commemorari, tanquam qui sanguinem pro veritate fuderit, primusque fuerit, qui martyrio veritatem obfignaverit, imo qui tanquam semen mulieris conculcationem calcanei senserit; Atque, ut *αἰς ἐν παραδω* hoc solummodo observemus, *Abelem* hunc mortuum κατ' ἐξοχὴν celebrari fuisse solitum, vel colligitur ex traditione, quam *Doctiss. SELDENUS* de *Synedriis Vett. Hebr. Lib. i. c. 2. p. 10.* affert ex *EUTYCHIO* Patriarcha *ALEXANDRINO*, qui eandem ex veterum hausit in oriente monumentis, nimirum, traditum fuisse „ apud orientales, quod *Sethus* Patriarcha, qui sedes sibi suisque in monte sancto fixerat paulo ante obitum, *adjuraverit* liberos suos *per sanguinem Abelis* neminem eorum descensurum è „ monte hoc sancto, nec permitturum quenquam ex eorum liberis posterisve descendere ad *Caini* maledicti liberos posterosve, quam eandem, *formulam Jurandi*, *per sanguinem Abelis* „ deinceps ajunt apud *Sethianos* fuisse perquam solennem. „ conf. *FABRIC. Codic. Pseudepigr. V. T. vol. II. p. 55.* Sed hæc *αἰς ἐν παραδω*. Et denique quis inficias iverit *luculentum* eum esse *sensum* ac *spiritualem*, quo significatur quod *Abel* Ἀποθανόντων celebratur *tanquam illustris typus Christi & justorum*, in quem tamen nos campum nunc non immittimus, concinne satis atque egregie exaratum, à celeberrimo, dum viveret, *Bremensium* meorum *Theologo*, *H. G. SNABELIO* peculiari exercitatione *de Abele typo Christi*, quam nuper opusculis ejus inseruit *Filius* Parentis ἐφαμιδος *GULIEMUS SNABELIUS* *Theologus* cum maxime *Amstelodamensis*, cujus amicitiam, cum ipso jam à duobus lustris cultam, nec unquam interruptam, non sine saliente præ-

2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
11.
12.
13.
14.
15.

præcordio recordamur, magnique facimus.

§. VIII. Non diffitemur tamen, & alteram illam expositionem, prægnantissimum fundere sensum, quod nimirum *Abel* adhuc etiam dicatur loqui, quando hic ejus clamor, atque hæc ejus loquela, posset concipi primo quidem fieri ad Deum, non tantum vindictam sui fratris efflagitans sed & vindictam omnium antityporum illius, *Judeorum* v. gr. quorum Kain typus fuisse, non obscure indigitatur Math. xxiii. 35. cum & ipsi ad exemplum effusi à Kaino sanguinis Abelis justî, effuderint sanguinem justum Prophetarum omnium atque etiam ipsius Christi, veluti ejus clamoris mysterium, ibidem quoque insinuatur; atque etiam *Antichristi*, uti ex Apoc. vi. 10. colligitur, qui Apoc. xvii. 6. tanquam *γυνή* introducitur *μεθύσα ἐν τῷ αἵματι τῶν ἁγίων κ. τ. λ.* *Mulier inebriata sanctorum sanguine.* Sed & suam simul postulans consummationem, atque vitæ corporis recuperationem, quam beatorum animæ expectant, atque catenus postulant. Secundo tamen etiam hæc ejus loquela apud homines posset dici fieri, quatenus in ipso Dei verbo, is occurrit nobis, tanquam præco redemptionis, tunc præstandæ, nunc præstitæ, quo sensu Hebr. xii. 24. *Sanguis aspersionis Jesu meliora loqui perhibetur* *παρεὰ τὸν Ἀβελ*, qui futuram pronuntiabat, cum Christi sanguis præstitam annuntiaret redemptionem, quem locum non intempestive huc referendum esse censuerunt Viri Celeberrimi HONERTI, Pater & Filius, alter Lugdunensis, alter Trajectinæ lumen Academiae, ILLE in Dissert. de Theol. proph. necessitate ejusque perpetuo in Ecclesia usu p. 21. 22. Hic in Miscell. Sacris Ling. Belg. editis p. 303. Et denique quatenus ipse quoque Abel, etiam nunc in verbo loquitur, sese sistens vivum, servi illius Justî, illiusque justificatorum membrorum, typum.

§. IX. Adeo ut lubentissime quoque, & ambabus quod dici solet ulnis, hanc amplexuri essemus expositionem, si altera illa Lectio CODICIS ALEXANDRINI, quæ pro *λαλεῖται* habet *λαλεῖ*, quod & Manuscripta Romana è Bibliotheca BARBERINA habere & STEPHANI habuisse, variæ N. T. Lectiones indicant, possit comprobari, tanquam genuina, quod tamen quamdiu
com-

comprobatum non est, priori sententiæ vota addicimus, id unicum tantum monentes, vel ex ipsis illis variantibus lectionibus aliquatenus colligi posse, quod illud λαλειτω, non possit obtinere sensum activum, cum horum codicum Confectores, si fuerint viri docti, ut sensum activum huic verbo conciliarent, loco λαλειτω quoque reponendum esse λαλει censuerint. Και ταυτα μεν δη ταυτα.

OBSERVATIO IV.

Ad NUMEROR. XXIV. 17. verba ult.

ARGUMENTUM.

Quid Bileamus illo versu doceat, ostenditur. Ultima ejus verba indigent luce, divisio observationis instituitur. §. I. Per בני נש non intelligi debent Moabitæ ex incestu nati, nec Philistæi nec Ammonitæ & Midianitæ. נש hic non designat fundamentum; Nec obsidionem. Nec Ανοστατον aut Ανταδωγων. Nec indigitantur filii potationis i. e. Ammonitæ & Moabitæ ex temulentia procreati. Sed ostenditur Sethi hic nomen proprium esse: & indigitari Filios Sethi: Seth non rex fuit Moabitarum, sed filius Adami. Neque etiam omnes intelliguntur homines: §. II. Sed semen sanctum intelligitur. Distinctio inter Kainitas & Sethitas in mundo antediluviano. Gen. iv. 24. illustratur. Post diluvium quoque per Filios Sethi prosapia sancta denotabatur. Ebraeorum nomen unde? §. III. Emphasis vocis כל. Variæ verbi קרקר expositiones. §. IV. Indigitatur eo verbo vel refrigeratio vel gloucitatio. מים קרים Prov. xxv. 25. Lux loco Math. xxiii. 37. affusa. §. V. Verborum sensus exponitur summam, & clauditur observatio. §. VI.

§. I.

BILEAMUS hic spiritu Dei actus vaticinium protulerat, de futuro Messia, ipsis non dissentibus Judæis quamplurimis, ne excepto quoque R. ISAACO, qui ceteroquin
 C pauca

2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
11.
12.
13.
14.
15.

pauca admodum ad Messiam applicanda esse statuerat priscorum vatum dicta: *Video illum at non nunc, progreditur Stella è Jacobo, & affliget Duces Moabi,* וְקִרְקַר כָּל בְּנֵי שֵׁת quæ ultima verba, cum nobis exhibere videantur, & opus Messiae post ejus in carnem adventum, tempora refrigerii populo suo indulgentis, & simul testimonium fidei Setbi Patriarchæ, quem in Abelis locum sibi positum ac divinitus datum agnoverat Eva, cumque aliter longe eadem ab Interpretibus accipi videamus, paucis quæ ad eorum illustrationem facere poterunt, attingemus; id quod ita quidem à nobis commodissime fieri poterit, ut Primo dispiciamus quales personas per בני שֵׁת intelligere debeamus, & deinceps, quid illorum respectu Messias prædicatur, effecturum esse.

§. II. Quot fere interpretes, tot dissidentes inveniemus sententias, de personis hic commemoratis, & quinam illi sint בני שֵׁת quorum hic injicitur, mentio: Alii quippe vocabulum שֵׁת esse appellativum statuunt, idque diversa quidem ratione, *vel ita* (1) ut *postica* corporis pars per illud indigitetur, quando censent Moabitas designari *ex incestu natos*, aut Philistæos quoque quos Deus *retro percussit* Ps. LXXVIII. 66. & 1 Sam. v. 6. opprobriumque perpetuum illis indidit, aut denique Ammonitas & Midianitas aliosve Orientales ad Euphratem usque pertingentes, adeo ut שֵׁת positum esse censeant pro אַחֲוֹר, veluti ad hanc situs quoque rationem respici putant in sua versione JUNIUS & TREMELLIUS, vertentes בני שֵׁת *per, illos qui pone sunt*: Sed præterquam quod ita, more & genio dicendi Hebræis prorsus alieno, vox אַחֲוֹר notaret Orientem, quæ potius in oppositione ad קֶרֶם Occidentem designat, uti ex collatione locorum Esa. ix. 11. & Job. xxiii. 8, 9. doctissime evicit Cel. HILLERUS in Syntagm. Hermen. p. 250. nullo quoque legitimo hæc significatio hæcenus comprobari potuit exemplo: *vel ita* (2) ut censerent eo denotari *fundamentum*, veluti ex Bibliis Marefanis accepimus, quando intelligunt, illos qui sub Moabitarum principe regnum quodammodo exercuerunt, uti *nec desunt* (3) qui per *obsidionem* id verterent, putantes hoc nomen ipsis Israelitis fuisse impositum propterea quod ab hostium vicinorum multitudine essent obsessi,

obsessi, nam & (4) Augustinum cum Chrysothomo hoc vocabulum per *Αυσουσιου* & Epiphanium per *Ανταλλαχην* i. e. compensationem reddidisse novimus; Atque harum sententiarum nulla cum recte Cel. HILLERO videretur, vero consentanea, inde is aliam (5) eamque excogitavit ingeniosissimam; scilicet, vocabulum hoc, quod ceteroquin à *שׂוּב* derivari posse non negat, ut significet Repositum ac Restitutum Gen. iv. 24. derivandum esse heic loci à verbo *שׂוּב* bibit, ut significantur *filius potationis* i. e. ex temulentia procreati, Ammonitæ scil. ac Moabitæ, quorum ultimus Author, Lothus, Ammonem & Moabum ebrius genuerat ac bene potus, inprimis quum iidem hi populi, quoque CEMOSUM suum, non secus atque Græcia, *ΚΩΜΟΝ* comestationis Deum, incontinentia, luxuque nimio, fuerint venerati; ut horum hoc loco excidium describi censeat Vir Doctissimus: Sed tamen *cum* nulla appareat ratio, cur, cum cetera nomina in hoc vaticinio *Moab, Edom, Seir* &c. nomina gentium propria indigent, hoc ipsum *Sethi* nomen in appellativum sit commutandum, *cum* porro, nullum hic denunciari his *filiis Sethi* excidium censeamus, uti deinceps apparebit, *imo cum* revera Sethum quendam in rerum natura fuisse constet, cujus & progenies fuerit nota, & Bileamo quoque rerum prisce seculi non adeo ignaro, non ignota, inde sane, nos merito facere fatemur cum aliis interpretibus, qui hic *Sethi nomen esse proprium* augurantur, tametsi nec hi ipsi satis inter se conveniant in determinandis hisce de quibus agitur personis, *Hugo* enim GROTIVS fuisse aliquem commentus est, qui inter Moabitas regem se gereret nomine Sethum, de cujus posteritate hic sermo sit, quod tamen commentum, cum sola nitatur conjectura, admitti nequit, sicuti nec alterum Rabbi NATHANIS commentum, quasi Moabiticæ urbis hoc fuerit nomen, ullo documento nititur fide digno, adeo ut ipse potius *Sethus, Adami filius, in Abelis locum repositus*, hic in censum veniat, non tamen ita, ut hic vel cum Interp. Chaldæo *כל בני אנשא* omnes filios hominum indigitari credamus, quamvis ea plurimorum quoque mens sit, quæ sane cum ipsa rei veritate conciliari non potest, quandoquidem, quemcunque sensum affri-

2.

3.

4.

5.

6.

7.

8.

9.

11.

12.

13.

14.

15.

care quoque velimus vocabulo קרקר, semper historiae veritas, vaticiniique repugnabit implementum, quo minus sine ullo discrimine omnes hominum filios intelligere queamus, praeterquam quod tum quoque procul dubio potius dixisset בני אדם *filios Adam*, more orientalibus familiariori, vel censeamus *Canaanitas* quae Hieronymi Oleastri est sententia aut solos *Judaeos* hic indigitari per Eberum Semi nepotem propagatos etsi non diffiteamur tamen, ultimos hosce veritati accessisse propiores.

§. III. Fuisse etenim antiquissimam illam generis humani distinctionem in mundo antediluviano, simulac divina illa de semine Mulieris & Serpentis promissio gratiosa orbem illustraverat, inter *Kainitas* & inter *filios Sethi*, extra dubium est, ut Linea sancta in Sethi posteritate potissimum fuerit propagata, hocque *semen* esset illud semen Gen. iv. 24. quod non sine allusione manifesta ad Proteuangelium, pronunciabat Eva, quod Deus sibi reposuerat in locum Abelis defuncti, altera vero illa Linea, ex Kaine ortum trahens lineae sanctae esset opposita, ac tractu temporis veniret sub nomine *filiorum hominum* in oppositione ad *Sethitas* tanquam semen sanctum, *filios Dei* appellatos Gen. v. 2. vi. 1.

Hanc vero etiam distinctionem, post diluvium quoque nondum cessasse, *partim* ex hoc ipso loco reddimus probabile, *partim* ex consimili quoque nomine, ex mundo quidem post diluviano, sed tamen ante dispersionem gentium, arcessito, universaliori quidem, sed certo tamen hominum generi, postea solummodo applicato; Neque vero censeri debet, nos hac ratione petere principium, cum ipsa argumentationis nostrae indoles evincat contrarium, quae ita fluit, si hoc in loco apertissima occurrat distinctio inter profanum semen, tanquam Messiae hostes, quibus sub Moabitarum nomine denuntiatur exitium, & inter filios Sethi, quibus prosperrima quævis, uti deinceps videbimus, annunciantur, si porro alter ille sensus, quo omnes per filios Sethi homines indigitantur, locum obtineri nequeat, ut vidimus, nec satis quoque sit concinnus, si denique ipsum quoque Ebraeorum nomen Judæis solis in sacris tributum sit, propterea quod in his solis linea sancta conservaretur, quamvis id ceteroquin

quin longe esset universalius, atque omnibus ab Ebero Semi nepote prognatis competeret posteris; veluti ipse Semus exinde Pater dicitur omnium *filiorum* עֵבֶר *Eber*, i. e. totius lineæ sanctæ, quæ ex Semo esset oriunda, donec Japhetus quoque ad Semi vocaretur tentoria; *Sequitur*, quod maxime concinna hæc phraseos hujus sit acceptio, quodque adeo ex hoc loco, illa dicendi ratio adhuc superstes, rite comprobari possit, præsertim cum non ignarus fuerit prisca revelationum Bileamus, imo ipsi quoque, de promissionibus Abrahamo & ejus semini factis constituisse, dici debeat.

Unde per *filiis Sethi* eundem quoque, *semen sanctum* intellexisse, colligere pronum est, omnesque illos, qui aliquando tanquam tales, Messiaæ sua vota essent addicturi, ipsique adhæsure, quam significationem & simplicem & prægnantem, & simul spiritualem quoque esse, nec ulli obnoxiam difficultatum illarum, quibus ceteræ erant obnoxia expositiones, sua sponte liquet.

§. IV. Horum itaque respectu, nullo habito discrimine gentis & gentis, cum semen sanctum inter omnes aliquando gentes esset futurum, quæ emphasis est voculæ כל, & simul ratio, cur Judæos hic non solos intelligamus, Messias dicitur, וְקָרָא כָל בְּנֵי שָׂה: Non minori sententiarum divortio denuo ab invicem secedunt Interpretes, ad determinandum, quænam genuina verbi קָרָא sit notio, quamvis in eo ferme consenserint omnes, singulare quoddam à Messia exercendum in filios Sethi prænunciari judicium, propterea quod prius illud hujus vaticinii membrum, tale in Moabitas, eorumque duces, exhibebat Judicium; Inde sanè Græci Interpretes per προνομενοι idem hoc reddunt vocabulum i. e. *Vastabit* deprædabitur, Chaldæus vero per יְשׁוּבָת *Dominabitur*, plurimi cum inter Judæos tum inter Christianos, per *destruet* vel *demurabit* quasi, veluti perfossionis ac suffossionis notionem, huic verbo, præcise quoque in lucubratisimo in Jesaiam commentario vindicare sustinuit doctissimus ille dum viveret Exegeta CAMP. VITRINGA P. ad Jes. xxii. 5. p. 641. idque non inconcinne, fortassis, si locum illum Jesa. xxii. 5. intueri

2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
11.
12.
13.
14.
15.

intueri velimus, quanquam tamen eam notionem nostro applicari loco aut posse aut debere non censeamus.

§. V. Sunt enim duæ virorum præstantissimorum sententiæ, ex quibus utram eligere velimus perinde erit, cum utraque & arrideat nobis, & splendidissimum vaticinio huic foecundissimumque conciliet sensum, altera Cl. ALTINCII altera Cl. GUSSETII Virorum dum viverent in Academia Groningana eminentium: Et GUSSETUS quidem, cum in Comm. Ling. Hebr. p. 761. tum in *Verit. Evang. adv. R. Is. Chizzouk. Emounab.* p. 33. 34. omnino manifestum esse censet, refrigerandi significationem huic verbo competere, quippe, quod non solummodo à קרר originem accipit, quæ licet radix sit obsoleta, in derivatis tamen manifesto adhuc superest, uti v. g. טים קרים *Aquæ frigide* Prov. xxv. 15. & מקרה refrigerium Jud. iii. 24. adeo ut iterata prima radicali, ut frequenter fit in aliis, ex קרר emergat פיהל Messia cumprimis sit conveniens refrigerare, beare, consolari, indulgere ipsis *ἡμεῖς ἀναψύξωμεν* Act. iii. 20. qui ad electum ejus pertinent semen, cum ipse sit Prov. xxv. 25. vere *aqua frigida animæ sitienti*: ALTINGIUS vero in Parallelismo vaticiniorum V. T. Opp. T. II. p. 9. itidem hanc refrigerandi jam insinuerat notionem, ut tamen specialius quoque censeat *glorificationem* hoc verbo designari, quod ex BUXTORFIO & Talmudicis quoque sibi comprobandum sumsit l. c. quando Messias hic introduceretur sub emblemate pereregio, quodque ab ipso Christo in diebus carnis ejus adhibitum, legimus Math. xxiii. 37. ubi ipse se dicit voluisse *Ἀποαναγαγεῖν τὰ πνεύματα Ἰερουσαλὴμ, ὅτι τὸ πνεῦμα Ἀποαναγεί ὄρνις τὰ νοστία ἐαυτῆς ὑπὸ τὰς πτερύγας.* & Joh. xi. 52.

§. VI. Quidquid sit, tamen si difficultatem quandam pariat, locus Jefa. xxi. 1. 5. ubi neutro significato vocabulum מקרקר accipi posse videtur, alterutram harum notionum omnino eligendam esse censemus: ut indigetur, si posteriori notationi inhaerere velimus, Messiam ab una quidem parte, potenti brachio dispersurum esse & percussurum omnes Moabi Duces, omnes ejus angulos penitissimos quoque, prostraturum eos, atque perditurum,

diturum, tanquam inimicos suos, tanquam semen serpentis, cu-
 jus vel ipsum caput esset conculcandum, ab altera vero parte,
 eundem quoque benignissimum atque potentissimum Dominum
 electis suis fore collectorem, quando totam Ecclesiam ex omni-
 bus gentibus esset collecturus, atque semen electum glorientando
 velut ad sese allecturus, ut & sustentaculum sub umbra alarum
 ejus atque tutissimum haberent umbraculum, quando ipse Do-
 minus eos fovendo, sustinendo, consolando, obtegendo, eos tu-
 taturus esset, ut ejus quoque protectionis turgurium umbraculo
 interdiu ab aestu, & receptui atque latibulo futurum esset ab in-
 undatione & à pluvia Jesa. iv. 5. vel ut indicetur, si priorem ma-
 limus eligere significationem, quod Messias aliquando inimicis
 suis ignis consumens appareret, imo, quando Cainum & ejus pro-
 fapiam malignam esset incendio consumpturus, prouti expresse 2.
 22. dicitur **כִּי אִם יִהְיֶה לְבַעַר קִין**, quod tum, electis suis Sethi-
 que filiis spiritualibus, abundantissimum esset præbiturus refri-
 gerium, recreando eosdem, consolando, omniaque bo-
 na, ad implenda eorum desideria, sitimque omnem
 restinguendam ipsis impertiendo, imo &
 æternum ipsos beando.

F I N I S.

E P I M E T R A.

I.

IDeæ rerum possibilium, pertinent ad scientiam Dei naturalem,
 quæ & simplicis Intelligentiæ appellari solet.

II.

Mandus non fuit nec esse potuit ab æterno.

III.

In epistolis Apocalypticis sensum propheticum investigandum esse cen-
 semus.

IV.

2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
11.
12.
13.
14.
15.

IV.

Sicque Angelus Ecclesie Philadelphiensis in serie factorum nos ducet ad Theologos utriusque partis Protestantes, quorum conamina stabiliendi pacem inter Reformatos & Evangelicos Ecclesiasticam ut secundare Deus velit, orandum est.

V.

De Salute Adami dubitamus nulli.

VI.

Justificatio ex fide non evertit justificationem ex operibus teste Jacobo II. 21.

VII.

Polygamiam illicitam esse censemus.

VIII.

Harmoniam ita dictam præstabilitam recentiorum quorundam Philosophorum rejicimus.

IX.

Vendere columbas, sensu ecclesiastico, illicitum esse, arbitramur.

X.

Mundum nec esse infinitum nec infinitum à Deo potuisse creari censemus.

XI.

1 Tim. III. 15. 16. non Ecclesia, sed Mysterium Gratiæ, sub emblemate columnæ venit & stabilimenti veritatis, sive etiam ipse Timotheus cui præscribitur, qualis esse, & qualem se gerere, in Ecclesia Dei vivi, debeat.

XII.


Pontificiorum de Authoritate Ecclesie Dogma à scepticismo absolvi nequit, sed multo adhuc minus eorundem de Authoritate Episcopi Romani sententia.

XIII.

Non adeo absolum illud XII. Tab. fuisse statutum videtur, saltem divino non repugnare Juri, quo sanciebatur, ut debitoris corpus secaretur, & inter Creditores divideretur.

F I N I S.





debatatur. *Que cum ita se habeant, dubium non est, custodiatur, quam prudens Sideribus. Quandoque ur. Ecce autem, ille beatus est, cujus cor integrum est suo.*

AbenEsra emphasin vocis תמים, quam erundenfi Onkelos reddidit: שלים תהיה *perfectus sis in timore Domini. Exigit enim fisis in solum Deum, ut omne aliud objectum, in aut unde futurorum notitiam petat, excludat, nius Dei providentia eum recumbere jubeat. Etor libri משה באר תמים idem h. l. signifiq. d. hominis esse, se totum Deo tradere & m apud ipsum, futurorum eventum quærere. aud obscure patescit inde, quod Deus in popurandos ait. קוסם קסמים מעוכן ומנחש. Deut. otandum קוסם, quod B. Lutherus Weissager ficare omnem artem, quæ exercetur ad sciencotingentia), & nimis eam vocem restringi ab כאר, dum reddidit, zaubern. Longè rectius licat hunc in modum: יתכן היותו שם כלל ופירושו חותכי המשפט האומרים כי כן יו o generali nomine habendum est, & de illis expli los demonstrant, dicendo, sic se res sine dubio habebit, Subdit: גם יתכן היותו שם פרט להוכריי שמים וטעם קסמים שיש במשפטי הככבב ראש Etiam pro speciali nomine venit. Denotat enim קסמים de stellis, qua prima & secunde appellantur, Kimchi com. in c. XIV, 14. Jer. ad stipulatur חווה קוסם Stellarum contemplatorem vocant הככבים aret, judiciariam illam astrologiam, quam hîc plexus est, à Deo, ipsius AbenEsra & Kimchii ohibitam.*

as Levita animadversioibus suis in librum Rii annotavit: הקסם היא לדעת העתידות וכן אמרו ער בלעם שידע קסם וכן אמרו ער בלעם שידע *notum rum scientiam proficetur, Ita de Bileamo referunt, quod*